



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

**Parisiis, 1644**

XI. De elucidatione antiqui Canonis, quo praecipitur, vt si quis acceptam a sacerdote eucharistiam nin sumpserit, velut sacrilegus propellatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15300**

promittat, vt fidem catholicam sincera cordis deuotione custodiens, iuste & pie viuere debeat, & vt in nullis operibus suis, canonicis regulis contradicat; atque vt debitum per omnia honorem, atque obsequii reuerentiam præeminenti sibi vnusquisque dependat, iuxta illud beati papæ Leonis edictum: Qui scit se quibusdam esse præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. Pœna tamen iuxta ecclesiasticæ consuetudinis morem, & placitis talium \* inferenda, & ab his qui transgressores fuerint perfoluenda est. ANNO CHRISTI 675.

Epist. 84.

\* inferenda,

## X I.

Cum nihil in diuino Canone debeat esse confusum, nihil dubium, nihil etiam indiscretum, in collatione nostri cœtus \* relatus est Canon Toletani Concilii primi, in quo præceptum est, vt si quis acceptam a sacerdote eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur: nec adiecta est ibi discretio voluntatum; cum & infidelis hæc & talia infideliter agat; & fidelis \* fidenter accipiat, quod naturalis illum necessitas deglutire non sinat. Solet enim humanæ naturæ infirmitas in ipso mortis exitu prægrauata, tanto siccitatis pondere deprimi, vt nullis ciborum illationibus refici; sed vix tantumdem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum, collatam sibi a sacerdote eucharistiam reiecerunt; non quod infidelitate hoc agerent, sed quod præter dominici cali-

Cap. 14.

\* relectus

\* fideliter



ANNO  
 CHRISTI  
 675.

cis haustum, traditam sibi non possent eucharistiam deglutire. Non ergo huiusmodi a corpore ecclesiae separandi sunt, qui talia non infidelitate, sed necessitate fecerunt; praesertim hi de quibus nihil fidei sinistrae sentitur. Placuit ergo definire, quod nec fidei officiat, nec infideli inultum existat. Quicumque ergo fidelis inuitabili qualibet infirmitate coactus, eucharistiam perceptam reiecerit, in nullo ecclesiasticae damnationi subiaceat. Similiter nec illos cuiusquam punitionis censura redarguet, qui talia tempore infantiae faciunt, aut in qualibet mentis alienatione positi, quid fecerint ignorare videntur. Iam vero quicumque aut de fidelium aut infidelium numero corpus Domini absque inuitabili (vt dictum est) infirmitate proiecerit, si fidelis est, perpetua communione priuetur; si infidelis, & verberibus subdatur, & perpetuo exilio relegetur. Quod si horum quilibet huiusmodi excessus digna poenitentiae satisfactione defleuerit, post quinquennium licitum erit, illum communioni pristinae reformari.

XII.

Qui poenitentiam in mortis agit periculo, non diutine a reconciliationis gratia referendus est: sed si praecipuum mortis vrget periculum, poenitentia per manus impositionem accepta, statim ei reconciliatio adhibenda est: ne prius ab humanis rebus aeger abscedat, quam donum reconciliationis percipiat; sicque superstitibus quodammodo doloris videatur esse perpetui, si praecipuum ab ecclesiae membris eum, qui utique recon-

\* differendus  
 \* praecipuum mor-  
 tis vrgetur peri-  
 culo,